



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 20. Trivultius capta Concordia, versus Bononiam movet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. A.C. 1511. co nudaretur. Accepto hoc Ludovici responso, Rex Catholicus quantocius classem, copiasque revocavit.

§. XX.

Trivultius capta Concordia, versus Bononiam movet.

Coccin. de bello Ital. Raynald. hoc ann. n. 58.

Interea Trivultius copias suas Concor-
diensi urbi admovit, eamque deditio-
ne accepit; cum vero Mirandulanæ Comi-
tissæ parens esset, & aliunde Julio infen-
sus, injuriam Comitissæ a Pontifice illatam,
quod ejus ditiones occupasset, ulcisci ag-
greditur; tunc temporis enim Pontifex
Bononia excedere meditabatur, ubi qui-
dem quosdam, qui tamen disciplinæ mi-
litaris leges ferme ignorabant, præsidia-
rios relinquebat, ipse vero discessum suum
vehementer urgebat, haud sibi tutum
in urbe locum existimans: cum vero Hi-
spanorum copiæ a Rege Catholico revo-
catæ, atque a Pontificis exercitu sejun-
ctæ redirent, iisdem velut præsidio usus,
Ravennam reversus est. Bentivolii com-
perta Pontificis absentia Trivultio, quo-
cum secreta agitabant consilia, pollicen-
tur, se eidem suorum fautorum ministe-
rio Bononiensis urbis portam traditu-
ros: Ergo Trivultius mox copias suas
adducit, urbemque nullo resistente ingre-
ditur; Dux enim Urbinas, qui a Papa
Patruo

patruo suo hujus urbis Præfectus nomi-
nabatur, Gallorum adventum, ac clande-
stina eorum commercia cum Optimatum
nonnullis edoctus, non sine ignaviæ no-
ta unacum suis Officialibus, ac præsi-
dialiis Bononia excessit: Igitur Pontifex
cum se proditum cerneret, atque a civi-
bus, etsi adversus Gallos se tueri vellet,
potenter defendi desperaret, in hostium
manus incidere merito verebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. XXI.

*Bononia occupata ; Bentivolii
restituti.*

Solus in urbe remanserat Cardinalis Le-
gatus, nomine Franciscus Alidosius,
qui tum apud Pontificem plurimum gra-
tia ac auctoritate valebat, hac tamen
inquit Paulus Jovius, omnino indignus
erat, sibi que ad tam amplios favores il-
licitis prorsus mediis viam paraverat.
Nihilominus a Julio præter Papiensem E-
piscopatum, ac Cardinalitiam dignita-
tem, etiam Archiepiscopali Ecclesiæ Bo-
noniensi præfectus est, & quamvis præ-
sens rerum status uni Viro spirituales,
simulque politicam jurisdictionem mini-
me concedi exposceret, hunc tamen Car-
dinalem Diocesis suæ administratorem
constituit, perinde ac si spatiosus totius
orbis ambitus nullum ultra produxisset
homi-

*Guic. lib 9.
Marian. l. 30
n. 11.
Paul. Jov.
in elog. t. 4.
Raynald hoc
ann. n. 59.
Ciacon. in
Jul. II. t. 3.
p. 229.*